

quanta nobis à Deo collata sunt per Christi adventum.

Qua & loquimur non in doctis humane sapientie verbis, sed in doctrina spiritus. Quæ etiam vobis annunciamus, non à philosophis vel grammaticis, sed à Dei spiritu eruditi.

Spiritualibus spiritualia comparantes. Illis ea dicentes qui possunt audire: non enim possunt nisi à sibi cognitis & similibus comprehendi.

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Qui spiritum Dei non habet, animalis est: quia animalium ritu versatur, qui putat nihil esse post mortem. Et ideo ut animal ventri libidinique committit se, æterna morte periturus.

Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Stultitia illi videtur primò quòd ille qui & passus, & mortuus est, & resurrexit: totius creaturæ nunc Dominus prædicatur. Secundò contemnere propria bona, alteri præbere maxillam, & cætera his similia Christi mandata.

Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur: sicut scriptum est. Iudicat vana esse, in quibus carnales homines delectantur. Et ipse ita se agit, ut à nemine iudicetur. Sive omnia spiritualis discernit, & intelligit: & sensus illius ab homine non intelligitur animali. Item alia expositio: Omnia dicit quæ sunt spiritualia. Non enim artes & disciplinas hujus mundi, animalis homo nisi spiritualiter intelligat, scire potest.

Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum? Sensum Domini, qui est in viris spiritualibus, sine spiritu Dei nemo cognovit. Item sensus, hic intelligentiam significat.

Nos autem sensum Christi habemus. Qui spiritum sanctum accepimus.

Caput III.

ET ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Modo timens ne putent hoc solum habere sensum Domini, quod ipsi ut parvuli audierant: non, inquit, in me sensus Domini defecit, sed vobis virtus defuit audiendi. Item alia expositio: Arguit Apostolus Corinthios quòd gratiam quam in principio credentes acceperant, perdidissent. Videtur autem hoc loco universos in commune increpare. Cùm hi reprehendantur, qui non iuxta fidem conversantur.

Tanquam parvulis in Christo. Non ætate carnali, sed in Christo.

Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Hoc & beatus Petrus ait: Deponentes igitur omnem malitiam & simulationem tanquam modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Si ergo adhuc illi parvuli sunt qui omnem malitiam abjecerunt, & qui nondum sunt in virtute perfecti, quid de illis censendum est, quibus omnis malitia dominatur?

Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis. Ecce de quibus vitis carnales iudicantur: quæ non propriè per carnem fiunt, sed de carnali sensu talia descendunt.

Et secundum hominem ambulatis? Qui nihil amplius habet quam ceteri homines, secundum hominem dicitur ambulare: sed in hoc loco ob defensionem singulorum hominum, homines appellatur.

Cum enim quis dicat, ego quidem sum Pauli: alius autem, ego Apollo: nonne homines estis? Vult nos plus esse quam homines.

Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis. Si nos nihil sumus, quos ministros ipse constituit, quanto magis illi qui in carnalibus gloriantur?

Et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus nunc incrementum dedit. Hoc ipsum non ex nobis est, sed Dei donum est, ut per manus meas signa fierent, quæ vos excitarent ad fidem: & Apollo sua vos doctrina firmaret: quia sicut planta sine aqua, sic fides sine doctrina marcescit. Si ergo & plantatio, & fons Dei est: quid nobis ascribitis quasi aliquid nostra virtute fecerimus?

Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Nisi enim Deus incrementum dederit, sine causa laboramus. Nos mercenarii sumus in alieno agro. Alienis utimur ferramentis: nihil habemus proprium nisi mercedem nostri laboris.

Dei enim sumus adjuvatores: Dei agricultura estis: Dei edificatio estis. Non in potentia, sed in verbo adjuvamus coli Dei agrum, & extrui templum.

Secundum gratiam Dei quæ data est mihi. Non secundum meam virtutem. Sive ponendi fundamentum gratiam accepi: ut ibi prædicarem, ubi Christus non fuerat nunciatus. Ut sapiens architectus fundamentum posui. Non potest imperitus architectus ponere fundamentum.

Alius autem superædificat. Alius doctor instituit supra fidem quam ego fundavi.

Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Sollicitus quàm fortia & recta parietum latera consurgant.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est: quod est Christus Jesus. Non est alius Christus, quem possit vobis aliquis prædicare, præter Jesum cui fide firmissima credidistis. Hoc solum agitur, ne per doctorum negligentiam, obnoxii incipiatis esse gehennæ.

Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc. Eiusdem artis est qui superædificat, licet minor sit in opere, cuius ille est qui posuit fundamentum. Non ergo unusquisque homo super fidem suam ædificat, sed quilibet doctor: quia nec parietes per se aliquando possunt erigi, nisi fuerint ab operatore constructi. Item hic magistros, & doctores significat super fundamentum (quod est Christus) homines rectè instituire vel pravè, in quibus magistrorum doctrina in die iudicii in igne revelabitur, ubi consumptis peccatoribus probati manebunt. Doctores autem super his qui probati fuerint, mercedem retributionis accipient: in illis verò quos ignis exurit, damno afficientur: quia in vacuum laboraverunt. Idem autem magistri in iudicium venientes, salvi fient, si tamen ipsi causa non fuerint perditorum. Quòd autem ait: Si cuius opus arserit, damno affectus erit. Non hic (ut quidam putant) in igne flammæ arsurus sunt opera: sed homines, qui ita operati sunt ut mercantur incendio deputari. Si autem opera, id est crimina punientur, salvo eo qui perpetraverat, non erit ei damnum, sed lucrum. Unde manifestè ostenditur, sicut supra comprehensum est, homines esse aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam. Quia acceptis institutionibus magistrorum, vel observant præcepta, vel negligunt.

Aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur. In Ecclesia tria genera sunt bonorum. Est bonum, & melius, & optimum. Quòd autem primo aurum posuit: ut sermo melius texeretur, sive ad fortitudinem, non ad speciem comparavit. Quia argentum fortius est auro, ideo meliori ponitur loco. Tria sunt è contrario genera malorum: Malum, pejus, & pessimum. Quæ lignis, fœno, & stipulæ comparantur.

Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit: quod superædificavit, mercedem accipiet. Aurum & argentum non solum non ardent, sed per ignem splendiora radiabunt. Ligna verò & cætera cremabuntur. Sive examinationem iudicii, igni voluit comparare: iuxta consuetudinem scripturarum.

Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Si quis negligenter aut verbo docuerit, aut exemplo, perdet laborem suum: quia opus aridum infirmumque perfectit.

Ipse autem salvus erit. In propria iustitia. Sic tamen quasi per ignem. Quòd si ille non nisi per ignem salvus erit, qui iustus ex proprio est, quia negligenter ædificavit discipulos: quid de illis fiet qui & sermone non ædificant, & insuper scandalizant exemplo.

Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Nescitis cuius sitis templum: sive in singulis, sive in universa Ecclesia?

Si quis autem templum Dei violaverit: disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Sive suum corpus, peccando: sive Ecclesiam ad pravam doctrinam reducendo, vel certè exemplo proprio destruendo. Solent

hunc locum Novatiani opponere ad penitentiam excludendam. Quibus respondendum est, ad quid hoc ipsum scribitur: Spem veniæ non habebunt.

Nemo vos seducat. Propria vel aliena adulatione deceptus.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo: stultus fiat, ut sit sapiens. Hic propriè mundi increpat sapientes, quos humana sapientia non permittebat sentire divina. Aliter: Si quis ad reddendam vicem injuriæ, si eadem fecerit, putet se esse sapientem, stultus fiat: In hoc enim sæculo stultus est qui evangelica voluerit implere præcepta: Qui enim percutienti alteram præbet maxillam: voluntate stultus est, non natura.

Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Nihil stultius est, quàm ut velit se, qui non potest, vindicare, & Deo suam non reservat injuriam. Et ita de contumelia vindictam apud Deum perdet, & de patientia mercedem.

Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Ad effugiendam manum Dei, nulla suffragatur astutia.

Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vana sunt. Nihil utilitatis conferunt ad salutem.

Nemo itaque gloriatur in hominibus. In falsis scilicet Apostolis, humana tantum sapientibus, cùm nec in nobis quidem, sed in eo cuius & ipsi sumus, sit gloriamur.

Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors. Omnia creata sunt propter sanctos: qui cùm nihil habeant, possident cuncta. Possunt autem hæc ad libertatem referre arbitrii, ut quod velint eligant, sive mortem, sive vitam.

Sive presentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt. Quòd sanctis, tam presentia quàm futura divinitus sunt attributa: item Christi vitam mortemque significat. Quoniam propter nos & mortuus est, & resurrexit.

Vos autem Christi. Sic est Christus Dei, sicut alibi Deus dicitur Christi: & hoc fide divinitate velis intelligi. Ceterum hic de assumpti hominis forma tractatur, secundum quam & dicitur unctus.

Christus autem Dei. Quasi homo.

Caput IV.

SIC nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Non ut æquales Christo.

Hic jam quaritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniantur. Interrogantis vox est: id est, jam hic vos putatis conscientias iudicari.

Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die. Humanum iudicium nullius dico momenti, in quo sæpe veritas & iustitia frustratur. Diem enim hominis non concupivi, Jeremias ait.

Sed neque me ipsum iudico. Ego qui conscientiam meam optime novi, nihil esse me iudico. Neque me ipsum iudico.

Nihil enim mihi conscius sum. Malè sentiunt qui dicunt: Nemo potest vitare peccatum.

Sed non in hoc iustificatus sum. Hoc pro humilitate dicit: Nihil enim mihi sum conscius: unde super homines debeam gloriari. Si hoc Paulus dicit: Quid à nobis dici debeat, cogitandum est. Sed non in hoc iustificatus sum.

Qui autem iudicat me, Dominus est. Non in quo me quidam ita laudant: quia ita quisque aliena laude non iustificatur, ut ne maculetur infamia. Unicuique enim apud Deum quod est, non quod dicitur, imputatur.

Itaque fratres nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Homo videt in facie, Deus autem in corde.

Et tunc laus erit unicuique à Deo. Ille verò laudabilis est, qui Dei testimonio laudatur, apud quem omnia occulta, & invisa sunt cognita.

Hæc autem fratres transfiguravi in me & Apollo, propter vos. Ut à nobis humilitatis sumatis exemplum: ne supra disciplinam scripture audeat unusquisque adversus alterum pro alio inflari, doctore malæ contentionis adverso.

Ut in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, unus ad

Tom. V.

versus alterum inflatur pro alio. Hoc est quod dicit, ne unusquisque magistrum proprium prædicans, alter adversus alterum incitetur.

Quis enim te discernit? Hic ad ipsos inflatos per eloquentiam, verba convertit: quis te discernit cuius momenti sis?

Quid autem habes quod non accepisti? Quid enim boni ex temetipso habes quod à nullo didiceris: vel Dei dono minime consecutus sis?

Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quasi in proprio gloriaris.

Jam saturati estis, jam divites facti estis. Hoc increpativo modo legendum, vel pronuntiandum.

Sine nobis regnatis. In nullo nostri indigentis.

Et utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Utinam non essetis falsa gloriacione decepti, forsitan simul regnaremus.

Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos. Nos omnium ultimos ad gentes tanquam ad mortem direxit.

Quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus. Omnes nostras publicè spectant injurias: sive verè angeli, & homines: sive sancti homines & peccatores.

Nos stulti propter Christum: vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Nos tanquam stulti propter Christum omnia sustinemus: Vos autem ita vultis esse Christiani, ut prudentiam sæculi teneatis. Nos infirmi, quia vicem reddere nolumus: Vos autem reddendo, fortes vos esse gloriamini. Nos nihil habentes voluntaria paupertate dejecti: vos vobis etiam nobilitatem terreni generis vindicatis.

Usque in hanc horam. Ab initio prædicationis nostræ usque in præsens tempus.

Et esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & inflabiles sumus. Non stamus in sedibus certis, ubique Evangelii necessitate jactamur.

Et laboramus operantes manibus nostris. Sic tamen operabantur, ut doctrinæ officium magis impleverent.

Maledicimur, & benedicimur. Persecutionem patimur, & sustinemus. Blasphemamur, & obsecramus. Rogamus Deum pro his qui nos blasphemant.

Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. Sicut scriptum est: Iustus immundus est apud malos.

Omnium perpessura usque adhuc. Omnium humillimi atque subiecti.

Non ut confundam vos, hæc scribo: sed ut filios meos charissimos moneo. Poterant confundi de sua gloria, si eos non relevaret. Non enim ruborem illorum cupiebat, sed profectum.

Nam si decem millia padagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Omnes qui ab alio jam genitis ministrant, patres dici non possunt.

Nam in Christo Jesu per Evangelium, ego vos genui. In novam vitam me primùm prædicante, reformatos vos esse meministis.

Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christiani. Bonorum filiorum est, in omnibus bonos imitari parentes.

Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino. Quanto fidelior est cæteris, tanto charior cunctis.

Qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu. Qui vos & meis literis, & suo commoneret exemplo: aliud enim sine alio prodesse non poterat.

Sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Quomodo semper & ubique meum exemplum cum doctrina concordat.

Tanquam non venturus sim ad vos. Hic incipit causam fornicationis arguere.

Sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit. Tandem aliquis de scientia falsa se jactat, usquequo veræ scientiæ prædicator advenit.

Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Examinabo non eloquentiæ pompam, sed conversationis effectum, ubi virtus fidei esse probatur.

Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Hic ostendit nihil prodesse doctrinam absque iustitiæ operibus, ei qui non faciat quæ facienda persuadet.

Quid vultis? Benignus magister discipulorum correptione

Q 99 ij